17 novembre 68

ARCHEVÊCHÉ DE QUÉBEC
17 novembre 1868.

MONSIEUR,

En vous envoyant ci dessous les questions qui doivent faire le sujet des conférences ecclésiastiques de l'année prochaine, je me fais un devoir de vous informer que Messieurs les Curés de quelques arrondissements m'ayant fait représenter qu'il leur était très difficile de se réunir quatre fois dans l'année pour leurs conférences, je consens à ce que ces Messieurs, et ceux des autres arrondissements qui se trouvent dans le même cas, ne se réunissent que deux fois, l'une l'été, et l'autre l'hiver ; pourvu que dans ces deux réunions ils discutent comme il convient, toutes les questions qui doivent faire la matière des quatre conférences prescrites.

Et je demeure bien sincèrement,

Votre dévoué serviteur,

† C. F. ARCHEVÊQUE DE QUÉBEC.

QUÆSTIONES ANNO 1869

COLLATIONIBUS THEOLOGICIS DISCUTIENDÆ

in Archidiacesi Quebecensi

MENSE JANUARIO.

Petrus confessionem generalem faciens sese accusat de detractione gravi, sed omittit dicere se hoc fecisse coram multis et contrà multos diversos homines. Item declarat se unâ vice habuisse intentionem occidendi, sed tacet numerum eorum quos interficere volebat. Tandem confitetur se diu restitutionem gravem sine causâ omisisse. Quæritur :

1° *Quænam sunt principia distinctionis numericæ peccatorum ?*
2° *Quomodo hæc principia applicanda sint his tribus casibus ?*

Cum Sempronius parochus in eo esset ut matrimonium celebraret inter Titium et Bertham, venit Lucia dicens Titium sibi promissionem matrimonii fecisse coram testibus qui adsunt ad testificandum parati. Sempronius, lecto articulo 62 Codicis Civilis Canadensis, contemnit oppositionem et celebrat matrimonium. Robertus, parochus vicinus, hoc audito, eum graviter reprehendit Quid in casu ?

MENSE MAIO.

Caius subdiaconus multis anxietatibus torquetur propter distractiones in breviario habitas. Plura repetit jam recitata et nunquam putat se plene satisfecisse officio. Hinc anxius quærit :

1° *An et quaenam attentio tum interna, tum externa, requiratur in breviario ?*

2° *An peccet adhibens solummodo mediocrem diligentiam contra distractiones ?*

3° *Quaenam remedia adhiberi possint contra distractiones ?*

Quæritur quænam sit natura privilegiorum orationis *Sacro-sanctae....* quæ dicitur in fine officii, et an recitanda sit genuflectendo ?

MENSE JULIO.

Sempronius confessarius postulat a pœnitente suo Titio quonam motivo moveatur ad dolendum de peccatis. Respondet Titius : Doleo de peccatis quia timeo ne Deus me æternis suppliciis puniat. Num, ait Sempronius, tale fuit tuum contritionis motivum in anteactis confessionibus ? Affirmat pœnitens. Tunc judicat Sempronius invalidas fuisse illius confessiones, utpote amore divino destitutas et solo timore peractas. Eum igitur dimittit absque absolutione et ei jubet ut sese præparet ad confessionem generalem faciendam. Quæritur :

1° *Quid sit attritio et quomodo differat a contritione ?*

2° *An vel qualis amor in ea requiratur ut sufficiat ?*

3° *Quid de sententia Sempronii in casu ?*

Sempronius parochus invitatus ad benedicendam novam domum tempore adventus utitur stola violacea. Robertus parochus vicinus putat eum potius debuisse adhibere stolam coloris diei.

Quomodo intelligenda sit rubrica ritualis nostri, pag. 155 *?*

MENSE OCTOBRI.

(N. B.—*Fit electio secretarii singulis annis, mense octobri, per scrutinium.*)

Titius laicus anxietatibus laborans circa restitutionem quam dubitat se debere, quemdam theologum adit qui respondet : Restitue, *quia sola*

conscientia certa est regula recta morum. Attamen quia agebatur de summa non levi, alium consulit qui respondet : Tu non teneris restituere, quia *in dubio probabili de existentia legis seu obligationis, licitum est contra eam operari.* Tertius theologus hanc decisionem evertit dicendo : Cave ne tibi illudas ! *Sola enim probabilitas per se non sufficit ad dictamen conscientiae practice certum efformandum.* Quartus eum eximit quia *qui probabiliter agit, prudenter agit.* Quintus exclamat : *In dubio pars tutior est sequenda.* Sextus tandem ei consulit ut conquiescat, quia *in dubio melior est conditio possidentis.*

Tunc magis ac magis anxius septimum theologum adit qui, audita hac narratione diversa illa principia ipsi explicat, certa ab incertis, vera a falsis caute distinguit et tandem ex his principiis certam casus solutionem eruit. Quæritur :

Quomodo hoc fieri potuerit ?

Deficiente aqua baptismali, Sempronius vult novam benedicere juxta formam a rituali præscriptum. Sed nescit quomodo vestiri debeat in hac benedictione ? Rituale nihil continet circa hoc punctum.